

A. Klawek

De Expulsione Protoparentum e paradiso

Collectanea Theologica 12/4, 414-418

1931

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez **Muzeum Historii Polski** w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Wenn man laut diesem Schlüssel die in Frage stehende Zeile transskribiert, erhält man folgende Unterschrift:

אני נסח בן אהרן בן ברתוי ברתוי

נסח und ברתוי sind wohl Personennamen, davon ברתוי auch anderswo belegt (Cod. 159 d. II. Firk. Sammlung-Kahle, Masor. d. West., S. 60).

Die א"ה-ב"ש Chiffre, die zusammen mit anderen ähnlichen aus spekulativen Alphabetkombinationen entstanden ist, wurde später zur kabbalistischen Interpretation und zum Niederschreiben solcher Sachen, die nur für Eingeweihte zugänglich sein sollten, benutzt (vgl. Kommentar des Rabbi Šemuel ben Meir רשב"ם zu Ex 3_{1,4}).

Lwów

H. Buchmann.

De Expulsione Protoparentum e paradiso.

In libro Genesis 3, 23, 24 narratur protoparentes post peccatum commissum e terra Eden expulsos esse ac Deum ingressum paradisi oclusisse. Quod factum ipsum clare descriptum speciali interpretatione non indiget, sed versus 24, in quo modus explicatur praeculadendi aditus ad Eden, multos scopulos commentatoribus praebet.

Textus Vulgatae hic est:

...et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.

Similiter legimus in LXX, si vero inspicimus Pentateuchum hebraicum, textum alium invenimus, qui latine reddendus est:

„(Jahveh) fecit, ut habitationem haberent ab oriente horti in Eden cherubim et flamma gladii huc illuc se vertentis ad custodiendam viam ligni vitae“.

Verba, quorum nobis plurimum interest, etiam typis hebraicis et graecis allegamus:

ואת להט החרב המתהפכת

LXX:....φλογίνην ῥομφαίαν...

Traditio christiana longe lateque diffusa hanc relationem libri Genesis intellegit modo notissimo, scilicet ante portam paradisi cherub-angelum armatum gladio flammeo a Deo esse collocatum, quod etiam omnibus saeculis thema pergratum stantuebat pro imaginibus artis christianae. Attamen parvus est numerus S. Scripturae interpretum, qui tali sententiae assensum praebuerint, cum et verba textus masoretici et opiniones israeliticae de angelophaniis ei repugnarent. Distincta enim fit mentio tum angelorum tum flammae gladii, deinde plures cherubim me-

morantur, non unus, ac denique nullibi adest testimonium istos angelos gladio ornatos esse, sicuti exegetae rem fusius explicant.

Qua de causa variae explanationes versus 24. publicatae sunt, imprimis eo fine, ut diversis coniecturis propositis, nomen *hereb* alio substitueretur. Alii defendunt mutationem vocalium, i. e. loco *hahereb* legunt *hahoreb* et vertunt: „flamma devorans“ (Hummelauer), alii sequentes similem methodum praeferunt lectionem *horbah*, quam facile construxerunt adempta litera *h* de participio *hamithapekhet* eaque addita vocabulo praecedenti *hereb*, unde sequeretur sensus omnino probabilis: „flamma devastationis“ (Hoberg).

Sed mea sententia necesse non est textum corrigere sine ullo in codicibus adminiculo, cum versus forma masoretica servata haud difficile intelligatur, si ei aliquatenus alium sensum inculcaverimus.

Usquehuc vigeat opinio frequentissima auctorem posuisse tum cherubim tum flammam in terra ante introitum paradisi. Cui sententiae favere videtur veterum consuetudo aedificandi statuas ante ostia templorum, quas quidem in Babylonia karibu appellabant, neque dubium esse potest, quin inter denominationem karibu et cherubim analogia quaedam adsit. Attamen in libris Veteris Testamenti etsi multoties cherubim memorentur, numquam in terra apparent¹⁾, sed potius comitatum Dei statuunt. Quibus perpensis inquirere decet, num liceat opinari auctorem custodiam ligni vitae in coelo supra firmamentum collocasse.

Nulli occurremus difficultati eligentes talem interpretationem quoad cherubim. Constanter enim Biblia docent angelos esse in coelis prope solium Dei, paratos ad comitandum Dominum, cum hominibus apparere voluerit. In psalmo 18, 11 (19, 11) parallelismus inter cherubim et nubes ponitur:

*Et ascendit super cherubim et volavit
volavit super pennas ventorum*

quae verba II Reg. 22, 2 repetuntur. Fortasse etiam Isaias (19, 1) scribens: *Ecce dominus ascendet super nubem levem et ingredietur Aegyptum*, imaginem Dei volantis super nubes, innixi angelis-cherubim, in mente habuit. Inde concludere licet iuxta persuasionem auctoris Deum cherubim talem locum habitandum assignasse, qualem alias obtineant, scilicet regionem nubium.

Existimo eodem modo flammam ponendam esse in coelo. Non est, qui ignoret S. Scripturam saepe ignem (flammam) cum fulgure coniungere, quod vulgo homines facere solent appellantes fulgur ignem coelestem. Difficilius vero explicari

¹⁾ Supra arcam foederis *figurae* tantum collocatae erant.

potest, quomodo flamma cum gladio logice cohaereat. Sed liceat nobis allegare Deut. 32, 41: *Si acuero ut fulgur gladium meum*, quae verba sonant in textu hebraico ברק הרבי (fulgur gladii mei), unde patet auctorem fulgur in manu Dei gladium nominasse. Similis comparatio invenitur apud prophetam Habacuc 3, 11:

*in luce sagittarum tuarum ibunt,
in splendore fulgurantis hastae tuae*

i. e. fulgura sunt hastae Dei irascentis. Nonne hi duo versus ex diversis libris sumpti nobis ius tribuunt ad sententiam statuendam etiam in libro Gen. 3, 24 „gladium“ metaphorice significare fulgur? Concedimus dicta allegorica et metaphorica in tribus primis capitibus certe inveniri non posse, etsi permulti id teneant, sed omnino perspicuum est auctorem libentissime usum esse anthropomorphismis ac quidem crassioribus solito, ex quo sequitur eum vocem „gladius“ praetulisse, cum imago armorum divinorum fortius in animos legentium influere posset. Etiam si in hoc versu Deus directe non consideretur tamquam is, qui teneat fulgur-gladium, tamen Jahveh modo humano flammam gladii collocare dicitur.

Sed cogitabit aliquis auctorem multo clarius rem exponere potuisse, si eodem modo quo Deut. 32 scripsisset: „fulgur gladii“, nam item verbis poeticis armatam potentiam coelorum expressisset. Quo concesso in mentem revocamus modum loquendi auctoris ambiguum non fuisse, cum illo tempore nemo dubitaret, quin gladius interdum fulgur significaret. Nihilominus penetrare conabimur, qualesnam imagines animum scriptoris impleverint, cum elegerit verba: *flamma gladii*. Secundum sensum obvium haec flamma nihil aliud est nisi fulgur destinatum ad custodiendum introitum paradisi, sed quia subtilius rem inquirere coepimus, cognoscere oportet, quid populus israeliticus olim crediderit de natura fulgurum. Patet ex aliquibus S. Scripturae locis fulgura quidem ante emissionem in terram qua fulgura non existere, sed esse scintillas productas igne superno, asservato certis locis, quae thesauri (hebraice אוצר) appellantur²⁾. Probabiliter ergo *flamma gladii* significat thesaurum ignis coelestis, ex quo ratione intercedente fulgura mittantur. Hanc interpretationem minus perspicuam duceres, si vocabulum latinum „*flamma*“ sumeres sensu strictissimo, sed comparans textum originalem, qui habet vocem *lahat*, facilius ea, quae exposui, approbabis. Hebr. nomen *lahat* est hapax legomenon, cuius sensum ex etymologia verbi *lahat* — coruscare, flagrare eruimus; qua de causa nihil obstat, quominus substantivum *lahat* globum vel thesaurum igneum significare interpretemur.

²⁾ Cf. Konrad, Das Weltbild in der Bibel, Graz 1917, 16.

Cum pro ventis, pluvia, nive etc. distincti adsint thesauri alii alibi collocati supra firmamentum, thesauro fulgurum assignatur Gen. 3, 24 locus specialis: *ab oriente horti in Eden*, videlicet maxime vicinus paradiso ad facilitandam defensionem ligni vitae. Utrum vero hic thesaurus unicus fuerit ad fulgura asservanda an unus e multis, singulariter destinatus ad homines arcendos ab arbore, certo decidi nequit, quamquam sententiae secundae me acclinare velim.

Si porro investigemus sensum adiectivi *mithapekhet*=versatilis, non constat illud exprimere lineas curvatas ictuum fulminum vel fulgorem flammae huc illuc discurrentem, sed potius illis verbis indicatur Deum undique fulmina iaculaturum esse, quacumque ex parte homines paradisum ingredi ausuri sint. Quod optime concordat cum simili versu Job. 37, 11. 12:

*et nubes spargunt lumen suum (fulmen)
 quae lustrant per circuitum (hebr. mithapekh = vertens se)
 quocumque eas voluntas gubernantis duxerit,
 ad omne quod praeceperit illis super faciem orbis terrarum.*

Itaque tota sententia dissideo ab iis, qui docent secundum Gen. 3, 24 paradisum per catastrophem geologicam destructum esse, ac teneo Deum protoparentes e horto fugientes edocuisse unicuique paradisum ingressuro fulminum ictus viam ulteriorem praeclusuros esse.

Si cum aliis exegetis flammam gladii in terra ponemus, uti ex. gr. contendit clarissimus Heinisch in commentario nuperime edito, et quod iam olim Peryera notavit, discrepantia quaedam inter duo momenta ab auctore narrata apparebit, quia igni paratur sedes in terra, dum cherubim in coelis vel supra firmamentum locantur. Quem ordinem inconcinnum nemo aegre ferret, nisi textus internam connexionem factorum suaderet. Iuxtapositio 1) angelorum-cherubim, qui nubes procellarum adducere solent, et 2) thesauri fulgurum clarior apparebit, si hoc et illud logice conglutinauerimus, ac quidem interpretantes angelis a Deo curam thesauri esse commissam, ut scintillis ex eo mittendis hominem lapsum arcerent, ne quando vivus arborem sacram attingeret.

Quorum verborum planam explicationem assecuti postremo quaeremus, quid auctor senserit scribens: *ab oriente horti in Eden*. Minime assentatione digna est opinio eorum, qui Adam et Hëvam expulsos in orientales partes terrae migravisse docent, quamquam multi ei adhuc faveant. Rationibus ex interpretatione nostra emanantibus commotus scriptor — scilicet Moyses vel potius ille, a quo dependet — asseverare voluit propinquitatem

thesauri fulgurum et terrae Eden, quae secundum Gen. 2, 14 in oriente sita erat. Ut cherubim citissime et facillime animadverterent, si quis temerarie in paradisum reverti auderet ac Deo quamprimum fulminum ictus subministrarent³⁾ — ipsos quidem angelos fulmina iaculari nullibi traditur — in eadem regione eis locus assignatus est. Quae sententia mihi verisimillima esse videtur, nisi forte probetur antiquissimam fuisse persuasionem Israelitarum fulgura ex oriente oriri, quam tempore Novi Testamenti pervulgatam esse fortasse ex verbis S. Matthaei 24, 27 cognoscimus: *Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.* Quoad vero hoc demonstrabitur, exegesis praedicta praeferatur.

Leopoli

A. Klawek.

³⁾ Cherubim hoc facere S. Scriptura aperte non docet, sed constat ea Deum comitari in nubibus, quum procellas in terram mittit, unde facile patebit cherubim ut spiritus administratorios (Hebr. 1, 14) Jahveh aliquatenus adiuvare.